



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controverisa XLII. De Orthodoxia Raymundi Lulli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XLII.

D E

Orthodoxia Raymundi Lulli.

**R**aymundus Lullus, Origine Catalanus, ex nobili Barcinonensium profapia prognatus, in Insula & civitate Majoricarum primò lucem aspexit circa annum Domini 1235. in vico S. Michaëlis. Vixit ambigua fama, ut Miræus *De Script. Eccles.* meminit: eapropter magnarum certè contentionum & disputationum materies; laudibus non minus ornatus, quàm præcissus vituperiis: & vel eo titulo nominatissimus est Raymundus Lullus. *Si verbis sacris uti liceat*, scribit Joannes Baptista Sollerius *Comment. §. 1. Signum, inquam, positum, cui à multis contradicetur, signum pro quo tuendo propugnandoque non pauciores egregie desudarunt. Sunt qui virum erroneum, hestriorem, fanaticum, phantasticum, prestigiatoeorem, perditam memoria virum; quodque in his pessimum est, hæreticum & errorum magistrum, orbi Christo perniciosissimum pronuntiare non dubitant: idque conatu adeo indefesso præstant, ut illis non videretur Catholici nomine dignus, qui orthodoxum dicit Raymundum. Contra vero insurgunt alii, numero multo superiores, qui & de atroci injuria enormique calumnia accusatores postulant, vix*

*eam habituri pro Catholico, qui debitam Sancto Martyri laudem denegat & venerationem. Hæc Sollerius. Qui in Dissert. Historica Commentario subjecta num. 1. observat, quod Controversia hæc ex inveterato inter sanctissimas in Ecclesia religiosas familias duas dissidio, magnis contentionibus pridem vertatur, Patribus Dominicanis in Lullum plerumque acerbis insurgentibus; contra verò Patribus Franciscanis cum non minus acriter propugnantibus.*

*Eliad 3. Illi inter sese jam pugnare parantes Obtendunt, pariterque manu præcurrenque Pilâ.*

Obiisse dicitur Lullus in Ora Mauritana lapidibus appetitus, anno, ut communis, veterique est opinio, 1315. 6<sup>to</sup> Martii, aut, quando à Majoricensibus colitur, 29. Junii, ætatis suæ 80. Cujus corpus delatum in Balearium Insulam primariam Majoricam, ibidem in veneratione habetur. Lullistæ, seu Lulli Sectatores pro illius defensione adducunt.

I. Raymundus Lullus annos natus 30. rerum humanarum tædio secessit in solitudinem factus ex mercatore Eremita; seu, ut Lucas Wadingus cum suis præendit, Religiosus Tertii Ordinis S. Francisci, verum

evalit



evalit Divini ac humani amoris specimen quomodo eum vocat Buserius Soc. JESU. Vifus aliquando in liberiori adolefcentia flammâ teloque Cupidinis agitated sexum, ad insaniam usque, deperire; ut matrimonii compedes etiam efferè dirumpendo lascivis affectibus fræna laxaverit, nunc huc, nunc illuc cucurrit; cui illud Virgilio applicari potuisset *Ænet. Lib. 4. de turpiter æstuantem Didone.*

*Urunt infœlix (Lullus) totaque vagatur*

*Urbe furens, qualis conjectâ cervæ sagittâ,*

*Quam procul incantam memora inter Cressia fixit*

*Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum*

*Nescius illa fuga sylvas saltusque peragrat*

*Diætas, hæret Latenti lethalis arundo.*

Est postquam Dei miserantis gratiâ ad frugem rediit, superno igne divini amoris adeo exarhit, ut non solum omnia & seipsum, vitamque suam projecisset Lullus lucrum duceret: sed etiam quaquaversum flagrantis amoris scintillas copiosè vibraret, (similia prius leguntur de sancto Joanne Dei, ab Alexandro VIII. Sanctis adscripto) multosque è vitiorum cœno ad castam mentem, devios à recto tramite ad virtutis cultum, atque ad professionem Orthodoxæ fidei (inter quos 70. Philosophi) reduxerit; ut jam ab ipso sanctioris vitæ rudimento consummatum aliquid perfectumque vifus sit attingisse, quemadmodum vitæ ejus acta, ex antiquissimis membranis Archivi Balearis desumpta, authenticè perhibent. Quare Sanjarus è Soc. JESU doctissimus Theologus *Lib. 4. de Christi. cognit. & amore Lullum inter ferventiores Christi amatores jure meritisimo collocavit.*

II. Cuncti totius regni Arragoniæ incolæ Lullum ut inclytum Christi martyrem publico cultu venerantur, scientibus, & minimè reclamantibus Ecclesiæ Catholici Præfibus. Siquidem in comperto est, virum hunc apud Bugiam in Ora Mauritaniæ sitam, ob promulgationem fidei Christianæ, & confutationem Mahumetanæ impietatis, publice Magistratûs jussu, post atrocissimas injurias, dira verbera, diuturnosque carceris squalores, objectum furenti plebi, saxis appetitum, ex vulnerum dolore conquassatum fortiter occubuisse: ut ex apertis vestigiis Medici & Chirurghi peritissimi certò deprehenderunt. Dumque Anno 1611. in templo Franciscanorum sacrum corpus ex sepulchro marmoreo elevaretur, adhibitis testibus gravissimis, in cranio illius quatuor ingentia vulnera, scilicet duo lapidum, gladii autem alia duo conspecta sunt; sicut pariter Instrumentum publicum testatur, & ex aliis refert Odoricus Raynaldus Baronii Continuator *Annal. ad Ann. Christ. 1313.*

III. Infolita miracula, tam certa, quam crebra, quæ ad ejusdem Lulli tumbam facta à juratis testibus recensentur, factis superque demonstrant hominis sanctimoniam, & post pretiosam mortem præclara apud Deum merita, quæ incontestabilia censeri debent symbola incorruptæ fidei sanctæque doctrinæ: quodque Christi bonus odor fuerit, ipsa indicavit suavissima fragrantia in elevatione corporis diffusa, & quæ percipitur in cubiculo, nunc in Sacellum converso, S. Raymundi Lulli quovis die Anniversario 25. Januarii.

*Locus Ambrosio plenus odore manet.*

Nemini ergo mirum videri debet, quod pro Lullo ejusque doctrina tot editi libri & tractatus, conscriptæ Apologiæ, atque Orationes Panegyccæ, quales & quantas divulgavit Ludo vicus Joannes Vileta Canonicus



cus Barcinonensis, egregius in Concilio Tridentino Lulli Hyperaspites, Nicolaus item Mellias Jure Cs., Joannes Segni Canonicus Majoricensis; assiduus Canonizationis Lullianæ promotor, ejusque fidelissimus Romæ procurator. Carolus Bovillus, qui primus Lulli vitæ seriem Anno 1512. ab Hispano quodam sibi communicatam typis evulgavit. Eximius illum laudum encomiis protecuti sunt Gaspar Escolanus, Andreas Libavius, Arturus de Monasterio, Bonaventura Armengual, Vincentius Mut, Ildephonsus de Zapeda, Nicolaus Causinus, Hugo Cavellus, Joannes de Vernon, Damianus Cornejo, Nicolaus Antonius, Antonius Arbiolus, Petrus Bennafor, Nicolaus de Pax, Jacobus Custererius, Lopepaez *Lib. de reg. & Constit. 3. Ordin. &* omnium recentissimus Ivo Saltzinger; ejus operâ quinque jam tum vegrandes Tomi Raymundi Lulli prodierunt: &c. &c. Neque illud prætermittendum, quod homo litterarum expertus, ut ajunt, tam variis occupationibus ac peregrinationibus distentus, tot in quavis pæne facultate, justæ molis Volumina, de rebus tam divinis quàm humanis evulgaverit, quorum Catalogus ad stuporem legentium extat apud Alphonsum Proaza, Lucam Wadingum, & plenior ex Bibliotheca Escoriali apud Petrum de Alva. Atque hi libri continent doctrinam sanam & proficuum; qui demum post annos centum jussu Gregorii XI. examinati, si non approbati, saltem minimè rejecti fuerunt. Deinde ea lite sub Gregorio XIII. & Sixto V. diligenter expensâ nihil pronuntiatum fuit: Argumento doctrinam Lullinam esse erroris expertam, quam alias iidem Pontifices utique proscripserunt; & in Indicem Librorum prohibitorum Lulli Opera referri mandassent. Imo Sancta Sedes non ita pridem cunctis bene discussis viri hujus Scripta ab omni censura exemta. Extant inter Litteratos judicii defæcati, atque optima Notæ,

qui hunc Lullum nominant *Doctorem illuminatissimum, Tubam Spiritus Sancti, Organum Dei, fontem veritatis, Ecclesia restauratorem, ejus doctrinam potius à Deo revelatam, aut infusam, quàm studio aut industriâ acquisitam arbitrantur, juxta illud*

*Doctrinam pandit Raymundus Lullius omnem*

*Cui Deus infudit, scibile quidquid erat.*

Quin ipsemet Lullus fateatur quod divinitus acceperit suam doctrinam in monte objecta Christi Dei specie, quasi Cruci affixi.

Quibus alia insidet de Lullo sententia, eumque dicunt infamem, sceleratum, vanum ostentatorem, hæreticum; videntur sibi rem conficere his rationibus.

I. Quod Chemicæ arti addictus Lullus, imo Chymistarum idolum, more eorum multa periclitatus fuerit, aurumque arte magica, ut Vigner refert, efformaverit: idque tantâ copiâ, ut Eduardo III. Regi Anglorum sex auri milliones dederit. Scripta quoque ab ipso de arte inventiva aliarum scientiarum non solum inutilia; sed & plerumque novæ passim censurantur. Ejus novam dialecticam Petrus Manteus explosit de *unius leg. verit. Lib. 5. cap. 53.* quam aperitissimo Plagio descripsit ex Arabo Abezebron; volens ut deserviret ad respondendum in terminis generalibus Anti-Christo venturo. Exploratione pariter dignam plures illius doctrinam censent ob præstigia, ludibria, quæ longè plus habent audaciæ, quàm efficaciæ; imo Sathanicam quidam dicunt: eo quod docuerit in libris suis hæretica, impia, blasphemica. Scilicet, quod omnis peccator sit hæreticus, quod Deus amet malos æque ac bonos, quod aliquando fidem liceat negare, quod Alcoran sit Evangelium ac Verbum Dei, quod Doctrina Veteris Testamenti attribuat Deo Patri, Doctrina Novi Testamenti Christo,



Christo, doctrina Lulli Spiritui sancto &c. Propter hæc aliaque similia dogmata perniciosâ merito inter hæreticos recensetur à Bernardo Luzenburgico, Abrahamo Bzovio, Gabriele Prateolo, Genebrardo, Jacobo Gaulterio, & aliis hæresiologis; quin ab Alexandro IV. P. M. circa annum Domini 1260. damnata Lulli doctrina, ut erronea proscripta & cunctis fidelibus interdicta. Denique Joannes Gerson Universitatis Parisiensis Cancellarius *tom. 1. Epist. 2. ad fratrem Bartholomeum Carthusianum*, item *in examine doctrinarum parte 3. considerat. 1.* perhibet ab eadem Universitatè Raymundi libros esse repudiatos, quod erroribus essent obnoxii.

Respondent Lullistæ, quod Raymundi Lulli doctrina sit, fueritque semper sana, pia & Catholica. Alchimiâ, ajunt, nunquam docuit, multò minus ejus periculum subit, qui post suam veram conversionem inops à ditionibus mendicavit subsidium pecuniamque pro recuperatione Terræ sanctæ. Quodsi aurum conficere potuisset, non illud Eduardo III. tunc puero, sed legitimis suis Principibus Arragoniæ & Majoricæ, præfimi propositi fautoribus utique obtulisset. Frustra ergo Lullo Alchimiæ fallacias conantur ipsius armis afficere. Si qui libri ea de re producantur, falso illi ab ignatis, vel malevolis attribuuntur viro integerrimo. Illi denique in hujusmodi nugis non ineptisse observant alii, quod in scriptis genuinis Alchimiatarum stultitiâ sæpè rideat. Habuit Lullus vivus mortuusque ex omni ferè Natione præclaros sui laudatores & propugnatores, ut supra citatos. Galli, Hispani, Germani magnis illius doctrinam elogiis efferunt; atque ævo nostro avidissimè ejus Opera desiderantur. Certè Serenissimus Princeps Elector Palatinus Joannes Wilhelmus Litteratorum Mecænas, magnâ non ita pridem industriâ, æque ac sumptibus haud exiguis in Lulli Opera inquisivit,

& quæ in variis Regionibus nancisci potuit, publici juris fecit; ut, quæ hucusque magno republicæ literariæ incommodo latuissent, scientiarum amantibus deinceps commode esse possent. Libri, qui errores in fide continent superius relati, perperam Raymundo attributi, sunt conscripti ab alio Raymundo de Terraga, qui NEOPHYTUS fuit cognominatus, ex Judo Ordinis Dominicanorum Religiosus; sed homo nequissimus ac sub religioso habitu sceleratissimus, demum Apostata libros composuit *de invocatione demonum, testamentum novissimum* alioque hujus farinae, quos, defuncto jam Raymundo Lullo, primum editos fuisse certum est; sed deinceps ob nominis similitudinem ignoscant, aut etiam vitulenter Lullo affecti fuerunt, quatenus sic auctoritatem acquirerent. Atque inde contigit, ut tanti Doctoris existimatio fuerit inquinata, & ab invidis calumniosè traducta, quemadmodum notat eum aliis citatus Nicolaus Causinus *tom. 4. Curia sancta*, vocans Lulli Opera quæ in plurimis Academiis leguntur, *Thesaurum absconditum*. Et licet Nat. Alexander H. E. *tom. VII. art. 20.* hoc non satis attenta consideratione a viro hoc, alioquin laudatissimo, scriptum esse contendat, favent tamen horum temporum celebriorum Scriptorum criteria minus præoccupata Theophili Raynaudi, Athanasi Kircheri, item Eminentissimi Arguiri, qui Lullo primò visus iniquior, postea, tractando, sanam illius doctrinam admisit, atque, ut antea relatam, eundem Sanjurius inter ferventiores Christi amatores recenset. videri etiam vel maximè videtur Præfatio D. Joannis Salzinger Operibus Raymundi præfixa; tantæ energiæ, ut viri literati aliàs minus bene de Lullo sentientes ingenue fassi fuerint; eâ lectâ, plene alium se animum erga ejus fidem aut doctrinam induisse. Igitur non solum ipse Bernardus Luzenburgicus, qui primus inter hæreticos Lullum



Lullum posuit; sed etiam alii, qui viro Catholico & de universa Ecclesia bene merito infensi, hæresis maculam injuriosissime affingere attentarunt, ipsimet aut ignorantia, aut malevolentia arguendi sunt: quod idem de aliis dicendum, qui cum Prateolo, Bzavio, hujusque defensore, Nicolao Jansenio, post Jodocum Cocceium falso supponunt, & nunquam probant damnatos fuisse Lulli errores ab Alexandro IV. quia ille tunc sæculo adhuc immerfus, de scribendis libris minimè cogitaverat. Quod si aliquando à summo Pontifice, Cardinalibus; cæterisque Ecclesiæ congregatis Præsulibus minus honorifice fuerit receptus, nil extraordinarium reputari debet; nam, ut Comicus ait. *Pauper inhonorus, genere sit clarus licet.* Non bene tamen infert Bzovius, quod velut stultus & phantasticus fuerit tractatus; quin potius virum Dei perceperant: sed ob eremiticam humilitatem, sicut Bovillus norat, ludibrio habentes; ob expeditionem, quam moliebatur in Terram sanctam, minimè curarunt; quando in Curia Avenionensi, item Lugduni à Clemente V. Cardinalibus, aliisque Proceribus Viennæ non fuit auditus, sed contempribiliter dimissus, juxta illud Ovid. *Amor. Lib. 3.*

*Curia pauperibus clausa est, dat census honores.*

*Census amicitias, pauper ubique jacet.*

Instant Anti-Lullistæ. Ex speciali summi Pontificis Gregorii XI. mandato habita fuit judiciaria actio de erroribus Lulli, an sint hujus vel alterius, ut præferebatur, cujusdam Raymundi junioris. Siquidem Nicolaus Eymericus, Ordinis Prædicatorum, Doctor Theologus, & in Arragonia hæreticæ pravitatis Inquisitor Generalis, cum experiretur doctrinam Lulli publicè tradi in perniciem Christianæ fidei, Libros ejusdem improbo labore perlegit, plurimosque selectos errores ad tribunal præfati Pontificis detulit. Hic

Librorum examen Petro Cardinali Episcopo Ostiensi commisit; qui, adhibitis viginti in sacra Theologia Professoribus, errores excerptis Pontificique obtulit, quos is, ut maximam partem hæreticos, censorio judicio, damnavit, proscripsit; omnesque Lulli Libros prohibuit. 8<sup>vo</sup> Kal. Febr. Anno 1376. Pontificatus sui Anno VI. Hoc Diploma reperitur in Directorio Eymerci inter litteras Apostolicas. pag. 67. Porro errores illi desumpti sunt ex viginti Libris vulgari idioma te à Lullo conscriptis. Quosdam insuper recenter Penna, ob quos iteratò Paulus IV. P. M. Lulli libros prohibuit, & in indicem librorum prohibitorum referri iussit.

Reponunt Lulliani. Verum esse, quod Libri à Lullo compositi hinc & inde scætant idiotismis, eo quod plurimi sine studio, aut aliorum Authorum præsidio in itinerum ac peregrinationum perpetuo motu sint compositi nec post satis exasciati; methodus quoque sit irregularis, inconcinna & confusa, rerum gestarum levis & aspera, vera tamen & sincera narratio. Modi & termini, videantur à comuni modernorum Theologorum sensu aliquatenus dissidere, in re tamen cum iisdem sat bene conveniant. Sic Gabriel Valquez tom. 2. in part. 1. Disp. 133. cap. 4. scribit plures hujus Doctores propositiones duriores sibi videri. Verum si quædam appareant primo aspectu à Doctrina orthodoxa aliena, quia duplicem sensum patiuntur, sunt in meliorem explicanda, que in sensu ab Authore intento esse hæretica nemo hucusque probavit. Sint etiam aliqua inibi erronea, ut eadem Du Pin *Bibl. nov. tom. 11.* agnoscit; quia tamen cum pertinacia Lullus nunquam sua defendit, nequaquam est hæreticus dicendus, cum Ecclesiæ Romanæ judicio, tanquam fidelis Catholicus ea humiliter subjecerit, quemadmodum Veronius; Wadingus &c. satis probant, & in locis octodecim exhibet Custerius, id quod parti-



ter plurimos à veritate devios Authores, in examen vocatos, ab hæresis nota eximit. Cæterum si error sancti Cypriani, in questione, quæ nondum eliquatissima perspectione discussa erat, ut loquitur S. Augustinus *Lib. 3. cont. Donatist. cap. 3. de bapt. de rebaptizandis* ab hæreticis baptizatis, tanta contentione & renitentia contra Pontificem Romanum agitatus, tanto fervore defensus, & usque ad mortem retentus, ab eodem S. Augustino dicatur nævus in candore animæ sanctæ, quem charitatis ubera tegebant, quemque cruore suo eluit; quidni dicendum pariformiter, quod nævus in Lulli scriptis forte repperis huiusmodi charitatis visceribus seu uberibus tectus sit, qui in Deum & proximum charitate accensus, sanguinem suum pro Christo fundendo, illum eluerit, & erroris vitæ passionis falce in beata anima purgatum sit? Quod in Pauli IV. Indice generalioribus terminis Raymundi Lulli Opera interdicanatur, id à primis Collectoribus, malevolorum inductu, factum putat Sollerius in *Dissert. art. 5. num. 109.* Ubi observat, quod in nova huius Indicis Editione Barcinonensi, intervenientibus Lullistis, prohibitio illa suppressa sit, donec à Generali Hispaniæ Inquisitione corrigatur. Neque deinceps nomen aut Opera Lulli in Indice Sixti V. aliisve à Sancta Sede approbatis Indicibus referuntur. Recte quidem. Quando ad bienntiam instantiam Ludovici Joannis Vileræ Barcinonensis Theologi per sacrum Collegium Reverendissimorum Dominorum ab Oecumenico Concilio ad hos similesque actus specialiter deputatorum, scilicet Patriarcham Venerum, quatuor Archi-Episcopos, totidemque Episcopos, duos Ordinis Generales, unum Abbatem, quatuor Doctores Anno 1563. prima Septembris concordi sententia decisum fuit, expungendam esse quamcumque Lullianorum Operum improbationem, & ab Indicibus, præsertim Pauli IV. Librorum prohibitorum amovendam. Quan-

tum ad Diploma Gregorii XI. subreptitium esse dicunt Lullistæ; idque colligunt, quod 200. articuli hæretica continentes damnantur, non tamen unicus eorum proferatur, aut verba citentur, quod prorsus alienum à stylo Curie Romanæ semper fuit.

Ermengaudus, Ordinis Prædicatorum Provincialis, & post Emericum in Aragonia hæreticæ pravitatis Inquisitor, alique duo istius Ordinis Doctores, item frater Arnoldus Peregrinus, Confessarius Regine Aragonum, Ordinis Minorum, & tres ex eodem Ordine viri eruditi, ex Commissione Apostolica Emericum in iudicium citarunt; ut hæreses Lullo perperam impactas in ejus Libris palam exhiberet. Deinde Anno 1386. annis decem post præfate Bullæ præfate Editionem, solemnè in iudicio novus Inquisitor pronuntiavit tres propositiones primas, quæ in Emericano Codice, tanquam ex *Philosophia amoris* excerptæ, & à Gregorio XI. vulgo dicebantur damnatæ, non solum Raymundo Lullo falsè adscribi: sed articulos ex Libello desumptos, bonos, veros, fideles & Catholicos esse: cujus recognitionis instrumentum refert Dermicius Thadæus. Unde satis eruitur quod præfati Commissarii Bullam illam famosam non censuerint authenticam, qui alioquin minimè ausi fuissent privatâ sua sententiâ iudicium Sedis Apostolicæ convellere & temerè reformare. Citatus Vasquez Anno 1590. Romæ agens, gravem coram Cardinalibus Inquisitoribus de ea re Controversiam agitatam memorat. Plurimi namque Catalauni Bullam confictam asserbant ab Emerico, Lullo ob propugnatam, ut ajunt immaculatam B. M. V. Conceptionem multum offenso: idemque Vasquez demonstrat Bernardum Episcopum Tiphernatensem, autoritate Apostolica Legatum, contra Emericum judicasse, cujus sententiam ipse vidit, testaturque cum aliis in Registro Pontificiorum Diplomatum hanc Gregorii XI. Bullam nunquam fuisse inven-



tam, licet etiam autoritate Apostolica diligenter bis perquisitam, semel Avenione, ubi data dicitur, vivente & praesente Eymérico; deinde iterum postmortem illius Romae.

Nil hæc Anti-Lullistæ morantur, atque ogerunt, quod Cardinalis Ostiensis & viginti Theologi, qui in Librorum, errorumque Lullianorum examen atque censuram jussu Gregorii per Breve Apostolicum iteratò, scilicet Anno Pontificatûs sui II. & IV. constituti, incubuerunt, minus oculati, minus eruditi, minus solertes & accuratè non fuerint, quàm septem illi Theologi Hispani, è quibus quatuor Minoritæ, privatis in Raymandum studiis indulserunt, & Regi Aragoniæ, qui ab illius doctrina infamiæ notam expungi optabat, sunt adulati. *Nihil tam flexibile, tam devium, quam animus, qui affectibus regitur, qui ad præpotentis non modo sensum & voluntatem: sed etiam vultum atque nutum convertitur.* scribit Cicero *de amicis*. Præterea sunt tantùm tres propositiones, de quibus nominati illi septem viri iudicium formârunt. Ex reliquis Eymericus centum descripsit in Directorio, major & potior pars est in Lulli Operibus legenda. Harum nonnullæ duriores & crassiores sunt, quàm ut eas communis Theologorum Schola admittat, aut sine censuris elabi permittat, quemadmodum ipsemet Wadingus fateri cogitur in *Annal. ad Anno 1315*. Addit idem Chronologus. Ars magna & parva, & inventiva veritatis admirabiles habet ambages & sinuosos antractos, per quos nec Dædalo licet incedere; nec ingeniosissimis aliquando viris etiam filum sufficiat Ariadnæ; quin in itinere vel iudicio sæpè deficiant. Paucos vel nullos invenias, qui hanc artem, vel artium omnium secretissimum & mysteriosissimum, quod fingunt seminarium, aut, ut alii volunt, Ludibrium, perfecte assequantur. Quod si post immensos labores, aut fatigati cerebri vigilias aliqui se purent affectos, vellem scire, quos tanti laboris hauri-

unt vel edunt fructus, vel quam singularem præ communi hominum sorte, aut turâ Gymnasiorum doctrinâ imbutis viris præferant excellentiam. In universis verò Operibus Lulli stylus inconveniens, inæqualis, non solum humilis verum & passim barbarus. Hactenus Franciscanus Annalista.

Cæterum pro Lulli innocentia haud parum facere videtur, quomodo Eymericus Lullistarum Adversarius, qui Libros totos octoginta (ut ipsemet in Directorio fateatur) annis omnium manibus tritos primus pernitiosos deprehenderit atque apertas hæreses inibi latentes eruerit. Hic unus Laurum mordit, cæteri omnes cucurbitas lippiverunt. Certè jam pridem, id est Anno 1309. Ars Lulliana approbationem, quadraginta Magistrorum & Baccalaureorum juramento confirmatam, obtinuit, quam in Academia Parisiensi autoritate publica prælegi consuevisse tradunt viri omni exceptione majores. Demum nova totius causæ recognitio sub Alemanno Ademaro S.R. E. Cardinale Martini V. Pontificis Legato, jussu Alphonfi Regis Aragoniæ, ab ovo resumpta, & præmissis rerum omnium utrimque gestarum examine per Bernardum Tiphernatem, Civitatis Castellæ Episcopum, causæ Commissarium, definitiva sententia subsecuta est, qua annullatis omnibus, usquehuc contra Lullianam doctrinam agitata, ea omni censura sic exempta est, ut in scholis inoffenso pede publicè tradi possit. Cujus rei authenticum instrumentum Majoricenses in Archivo se habere asseverant.

Hæc omnia in levi ponunt Anti-Lullistæ & declarationem illam Bernardi nullius ponderis dicunt; tum quia rem non satis attentè consideratione expendit, & iudicio non satis maturo expedire voluit: tum quia non licuit Episcopo Inquisitorem damnare; sed res ad Sedem Apostolicam deferenda erat: tum denique; quia sententia illa authenticè scripta à nemine hucusque visa fuit: atqui

non



non esse & non apparere eadem sunt ex Juris C. sententia. Et quamvis Litteræ Apostolicæ ex Regesto sublatae sint; earumque Authographum casu aliquo perierit, ut aliqua plures interierunt: quod tamen data fuerint gravia & incontestabilia probant monumenta. Extant siquidem duo Gregorii Pontificis Brevia Anno II. item IV. sui Pontificatus data, quibus Libros Raymundi Lulli tanquam suspectos ad se mitti iussit ac diligentissime examinari. Et quoniam hi Libri perlecti & discussi sunt à Cardinale Ostiensi & viginti adjunctis Doctoribus Theologis; sintque censurati, quod plurimis scateant erroribus: quid igitur reliquum erat, nisi ut à Pontifice obelo configerentur? Hinc neque Wadingus, quantumcumque Lulli Parastates, temperate sibi potuit, quia, vi veritatis adactus, fateretur, quod suspensionem ingereret, duas præfatas Litteras Anno II. & IV. Pontificatus Gregorii XI. datas, circa Lulli doctrinæ damnationem aliquid fecisse. Nequaquam ergo, quod bene observat Bzovius *Annal. ad A. C. 1372. num. 27.* Alemannus Legatus sine speciali commissione Martini V. P. M. de re gravissima aut ipse cognoscere, aut cognitionem causæ alienæ committere potuit. Ipse Petrus Aragonû Rex, in Epistola ad Gregorium, ipsius de Damnatione Lulli Diploma ut legitimum agnoscit, & in suo regno promulgari fecit: rogatque suam Sanctitatem, quatenus novum examen librorum damnatorum decernat. Hanc Epistolam typis edidit Franciscus Diagus *Lib. 11. Histor. Provinc. Aragon.* à se descriptam summa fide ex Cartulario Regio Civitatis Barcinonensis, in qua Regestum extat, varias Petri Regis Epistolas continens ab Anno 1371. usque ad annum 1379. Porro fatentibus ipsis Lullistis Anno 1376. in Archivis Barcinone, Tarracone, & Valentia reperta est Bulla, ergo non fuit conficta, quam Antistites celeberrimarum Ecclesiarum in suis reconditoriis tam bene asservari voluerunt. Perperam itaque

Eymericus à Paza *part. 4. Lib. 4. cap. 3.* filificator Bullæ Apostolicæ vocatur. Perperam Lullistæ contendunt, quod Gregorii Diplomata hæc sint supposititia, & quod Eymericus, Lulli æmulus, in Directorio eadem finxerit. Neque enim tam nefandi criminis suspicio, absque gravissimis argumentis, in virum religiosum cadere poterit. *Uo quisquis est vir optimus, ita alium perversum difficillime suspicabitur.* scribit Tullius *ad Q. fratrem.* Fuit quidem Eymericus Lullistarum machinatione, jussu Regis in exilium relegatus: sed postquam anno fuit restitutus, cum fama sanctitatis in pace quieverit.

Ad Primum Lullistarum argumentum Respondetur. De vita Eremitica Raymundi Lulli non constare; multo minus, quod religiosus in Ordine approbato fuerit, quod eo magis dubium; quod Rex Hispaniarum in Epistola Lullum vocet mercatorem, quomodo etiam Pontifex etiam in Diplomate vocat, quodque Inquisitor Nicolaus Eymericus conterraneus; & Franciscus Penna illius Commentator eum Laicum, nullius verò synchronus aut suppar Historicus Eremitam vel Tertii Ordinis S. Francisci professorem nominet. Sed neque de ejus conversione, vocatione, missione, prædicatione quis meminit. Acta vitæ cum sint incerti Authoris, aut sublestæ, aut nullius sunt fidei, quæ passim ab eruditis Criticis rejiciuntur. De Lullo hoc apud Bzovium *Annal. ad an. C. 1012.* legitur, quod à Genuensibus 25000. nummum collegerit in subsidium recuperandæ Terræ sanctæ. Quid Eremitæ cum bello sacro? quid solitario cum vagabundo excursu ad Urbes pro corradendo auro; *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro apertus est regno Dei.* Luc. 9.

Ad Secundum Respondetur. Non omnino absolum est quod Cicero 6. act. in Verr. dixit. *Omnes religione moventur, & deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur.*



Quando Aragonenses Lullum colunt ut Martyrem, credunt pro fidei constantia mortuum fuisse. In eo si errent, vim veritati non inferunt; neque Ecclesie universali præjudicant: quæ sicut coniventibus fortè Prælati, ob rationes hæud satis cognitæ, cultum hunc positivè non improbat, ita neque approbat: quidquid modernus quidam Minorita scribat ex Indulto Apostolico Festum Lulli celebrari. Certè Lulli nomen nullus Papa in Sacris Dyptichis recensuit, multò minus in classem Sanctorum Martyrum retulit, quantumcunque operis eum in finem impensum fuerit. Qua de re audiendus Bzovius ubi supra ad annum 1332. num. 170. inquit. *Quibus non placet cultus, qui à Majoricanis exhiberi dicitur Raymundo Lullo, quod & pro Sancto Ecclesie illum non agnoverit, non admiserit, non probaverit; & in suspitione hæreseos illum occubuisse: adeo & illum titulo & honore Martyrum indignum aliqui non immerito existimaverint, vel hoc potissimum invincibili argumento permoti. Talis doctrinam Raymundus Lullus prædicavit; & in talis doctrina prædicatione à Mauris lapidatus occubuit, qualem scripsit: sed scripsit hæreticam, ut notissime Anno 1617. coram Sanctissima Congregatione S. Officii Illustrissimorum Cardinalium Roma à gravissimis Theologis, qui 70. & amplius articulos (ut omittam alios ex Libris, quos Raymundi Lulli negant esse Lullistæ) partim hæreticos, partim erroneos & temerarios ex Libris Lulli à procuratore ejusdem Lulli, pro Libris ejusdem Lulli admissis, exceptos representarunt: & non à Christo in forma Crucifixi (ut à Lullistis asseritur) apparente; sed à Damone, hæresum & errorum authore Raymundo, idiota, nullas litteras scienti insinuos seu inspiratos esse, certissima illatione ostenderunt, probatum est. Necessario itaque prædicavit hæreticam erroneamque. At in talis doctrina prædicatione si quis occubuerit; dicunt illi viri doctissimi, se nescire quomodo possit Martyrum vel*

*numero accenseri, vel honoribus ornari. Neque virorum horum discursus videri debet inconcinnus, quandoquidem verissima est S. Augustini Lib. 1. cont. Panorm. sententia. Non ex passione certa est justitia: sed ex justitia passio gloriosa est.*

Ad Tertium Respondetur. De præteritis miraculis Lulli apud Boville, qui sanctum voluit, nullum extare testimonium authenticum: sed insuper necessaria approbatione Superiorum destitui: adeoque iis adnumeranda, quæ à nimium devotis piè evulgantur & leviter creduntur. *In miraculis sæpe sub umbra veritatis decipi possumus, sentit S. Chryostomus hom. 18. in cap. 1. Joannis. Apologia pro Lullo scriptæ, & quæ sunt hujusmodi in laudem ejus exarata, proveniunt à Neotericis, ex quorum fide nihil statuedum, quoadusque vindicentur, unde acceperint. Encomiastæ solent plerumque, quæ ad ornamentum, seu amplificationem illius, quem laudandum susceperunt, ea adducere, quæ palam feruntur, sine accuratore indagine veritatis, qui non observant illud Socraticis, apud Stob. serm. 3. de temperant. Velut ihus non hominibus sed diis convenit: ita laus non indignis, sed præclaris tantum viris tribuenda est. Ipsimet Lullistæ valde mirantur inter tot Scriptores recentiores reperti neminem, qui acta Lulli primogenia in lucem producat, paucissimos, qui eadem citent, aut appellare in animum inducant. Profertur quidem acta quædam MSS. de viri gestis, sed quia de Authoribus, quos fama obscura recondit, aut tempore, quo scripta sunt, nulla certitudo; nulla quoque fides iis adhibetur. Prudenter itaque censet sæpe citatus Wadingus, abstinendum ab ineptis quorundam epithetis & paranæticis, quæ insulse Lullo assignuntur elogiis, si qui eum vocent Illustratissimam Tubam, Spiritus Sancti Organum &c. non desunt qui eum vocent stultissimè subtilem Impostorem. Jacobus Gaulterius in Collat. vet. er. rar. sac.*



ror. *fac. 13. cap. 5.* de Lullo scribit. Anno circiter 1260. prodit hic histrio multos spargens libellos, ac dictitans Jesum Christum sibi in Crucifixi forma apparuisse: sequi ex eius ore doctrinam accepisse: quamvis, ut verum fatear, libelli ejus magna permixti, & plus quam quingentis erroribus contaminati reperi sint. Inter eos errores citatus Author recenset, quod Lullus docuerit, Deum habere plures essentias, Patrem fuisse ante Filium. Divinam essentiam essentia naturam. Spiritum Sanctum esse conceptum per Patrem & Filium. Crimen esse hæreticos punire &c. In vanum igitur prætenditur, quod habuerit Lullus scientiam insulam, quam scriptis tradidit. Sunt interim, qui volunt ipsum non fuisse mentis compotem. Quodsi vellemus, scribit Naudæus, de Vir. Mag. &c. *cap. 14. §. 10.* quam vehementer ars Mercurii ejus lassisset cerebrum, id perquam facile efficeremus, si itinera ad Pontificem & Philippum Pulchrum Regem Gallie, de quibus Boville, refereremus. Revelationes præterea nullo apud Eruditos sunt loco, conformiter Decreto Gelasii P. M. statuentis, novellas revelationes nos admirari & suspicere minime oportere; quæ passim non ad Ecclesiæ utilitatem: sed pro hominum affectu exprimentur, Fiunt plerumque scientiarum revelationes à Deo ad fidei incrementum, vel ad Ecclesiæ suæ fulcimentum, cujusmodi à Doctrina Lulliana hucusque non prodierunt, cum ejus Libri nulli fuerint usui in Conciliis ab ejus morte celebratis. Quod si ea Doctrina, quæ Spiritus sancti afflatu concurrente quinquaginta vel sexaginta horarum spatio comparata dicatur à Lullistis, ab Angelo tenebrarum, transformante se in Angelum Lucis, tot errores edoctum afferere non dubitarunt Joannes Gerson & Petrus Ceruelo Canonicus Salmanticensis apud Alphontum Mendozam Eremitam Augustinianum Salmanticensem. Simile ju-

dicium tulere plures alii Eclectici sine ullo partium studio apud Nat. Alexandrum. Quanquam aliqui, ut dictum, miris cententes scribant inani scientiarum persuasiones, quæ ut ventres urtes, sic stultos inflat, imbutum; licet esset omnis doctrina ignarus, expertus ingenii, artis egeus, cerebri deliramenta chartæ mandasse, quæ nec ipse sanus, multo minus alius, etiam ingeniosissimus comprehenderet. Hinc Sphynge opus esse ad Raymundi Lulli artem credebatur Raphaëi Volateranus, ad quam comprehendendam longiore tempore opus fore, quam ad totam Summam Divi Thomæ, S. Bonaventuræ, Alentis, aut Darandi arbitratur Gaddius. Volunt plures LULLI TYPO-COSMIAM esse vocabulorum artis massam, & terminorum, nihil profus significantium faraginem compactam, ad vanam potius ostentationem, quam ad comparandam solidam aliquam eruditionem. Sed nos bardis scilicet (falsè scribit Mariana *Lib. 15. cap. 4.*) assequi non possumus eadem, in quibus Raymundi scilicet reconditas significationes & arcana majora quarunt, & videre se fingunt, aut somniant, quod non vident; & digno conantur ostendere, quod nusquam est. Quorum est nostræ ætate etiam magnus numerus, schola Barcinone (quod mireris) libris explicandis dicata, postquam reprobati sunt.

Quantumcunque ergo Lullus sit venerabilis apud suos, & præter morem acceptus Propheta in Patria sua (siquidem & Prophetiæ Spiritu claruisse acta produnt) alii tamen ex rationibus adductis subinferre volunt, quod in cunctis præteritis prærogativis LULLUS sit NULLUS. aut instar Chamæleonis, quod præter maximum pulmonem turgidum nihil aliud habet, ut Plinius observat *Lib. 11. cap. 32.* ita in Lullo, præter ostentationem vanam ac ventosam jactantiam, nil fuerit.



Veruntamen, qui hujus viri partes tuentur, neque rationes illas ut sufficientes ad turbandum extra possessionem Lullum admittunt, neque responsiones solidas ad sua argumenta allatas credunt. Tam hi, quam illi bene meriti sunt de iis, qui in veritatis cognitionem studiosè incumbunt: invictum quippe reputandum est hoc, quod apud Herodotum *Lib. 7.* legitur pronuntiatum.

*Nisi diversa inter se sententia dicantur, non poterit quis e-*

*ligere veriore: sed necesse habet, eà, qua dicta est, uti.*

*Ast cum plures prolata sunt, licet tanquam purum deligere. Quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero discerni potest.*



CON-